



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 23. Rochus Gonsalvius & Alfonsus Rodericius mactantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

elementa omnia inter se committam, procellas commovebo, corporum & segetum pestes accersam, tygres & feras in vestram ruinam armabo, mala denique omnia creabo. Cūm sic partim à lubentibus, partim à timentibus, eliciuerit consensum, Cuniaraquam Casiquum ex omni multitudine sevocat, & coniurationis promovendæ ergo ad Caaroënses amandat, cum mandatis, ut simulatione maximâ Caarupe & Caabute Casiquios, patrandis sceleribus aptos adeat, referatque conspirationis causas, & suo nomine imperet, ut Rocho Gonsalvio & Alfonso Rodericio de medio sublati, pergent ad Petrum Romerum trucidandum: se interim intenturum in mortem Joannis Castillii & Sociorum Piratinensium. Addat ab Ibitiraquanis & Paranensis ex condicione Socios omnes esse maestandos. Cuniataqua ad Caaroënses pergens cum his mandatis, ita totam rem præstitit, ut Caarupe & Caabute coniurationem statim approbarint, opem Niezuvio spondentes: adeo non difficiliter scelerati in bonorum ruinam conspirant.

Caaroënses
follicitantur.

INTERIM Rochus Gonsalvius conspirationis ignarus, decimâ-quintâ Novembbris summo mane ad Petrum Romerum rescripsicerat, Caaroënsium res feliciter promoveri; & si suppterenter ferramenta ad alliciendo muneribus populos, quingentas familias in album referri posse. Hoc scripto Sacrum peregerat, ritèque gratiis aëris omnes Indos adesse iusslerat, ut ex ingentis ligni summitate campanam, doctrinæ Christianæ & sacrorum Ministeriorum tempora designaturam, appendenter, appensamque erigerent. Sed Caarupe in opportunitatem parricidii intentus Barbaros ab se subornatos, tanquam ad Gonsalvii iussa capessenda pergerent, secum clam armatos ire jubet, & dissimulanter omnia agere, donec Marangoë tortori abs se designato nutu parricidium imperaret. Jam omnes convenerant, & Rochus Gonsalvius Carne & Sanguine Christi saginatus optima hostia futurus, operi accinctus, ad obligandam fune campanæ lingulam se inclinaverat, cùm Caarupe, invitatus opportunitate inferendi vulneris, oculorum niectu Marangoë scelus mandat, qui clavam saxo capitatam in caput Patris optimi toro nisu vibrat, & uno iœtu cerebrum è crano extundit, exanimatque: diffractum caput alter repetitâ clavæ impulsione penitus conterit. Mox omnes inconditis clamoribus aëra, lymphaticorum in morem, compleant: dices fateri velle immensis ululatibus dignum facinus se edidisse. Exciverant hi clamores Alfonsum Rodericum, in non remota cella quotidiane precis pensum persolventem, & jam parabat ipse pedem è cubiculo efferre, de novitate percunctaturus, cùm ostium parricidæ obserdent. Primus insilit Areguatus, insignis veneficus, idemque Divinitatis phantasticæ usurpator, Caturæ germani fratri jussu, qui subito brachiorum amplexu Rodericum ligans, mandat, ut feriatur. Nec mora sicarii clavas rotant, vibrantque. Sed Rodericius, quamquam inter turbam & iœtus piè anhelans, volebat ibi victima cadere, ubi Sacrificium offerre consueverat: verum erumpentem, nitentemque ad templum pertere, sicarii ultrâ progreedi non possi, alteris clavæ rotationibus prosternunt, donec constaret etiam expirasse.

CAPUT
XXIII.
Rochus Gon-
salvius &
Alfonius
Rodericus
maestantur.

Rochus Gon-
salvius mors.

Et Alfonsi
Roderici.

CAPUT
XXIV.
Gesta post
utriusque
necem.

Parricida
cadavera
deformant.

Sacra pro-
phanant.

UTRIQUE extincto longus clamor dissonusque editus est, unis de facinore exultantibus, alteris (nam non omnes conspirabant) tristissimum ejulatum in commiserationis confessionem tollentibus. Parricidæ, nondum satiato furore, cadaveribus insultant, Roderici corpus lumbis tenuis truncant, crus evellunt, vestibus detraictis, iteratis vulneribus utriusque membra deformant, denique circum templum ignominiosâ circuitione protracta, igne in ipsum templum injecto, flammis tradunt, Sacra omnia profanant, aram in frusta minuant, calicem perfringunt, ceremoniarum codicem minutum concidunt, intemerata Virginis effigiem, quam Rochus Gonsalvius expugnaticem populorum vocitare & ad nova oppida fundanda secum portare solebat, dilacerant, Christi Crucis affixi icones duas refixas in ignem mittunt. Felices in eo generosi Athletæ, quod eorum manibus morerentur, qui JESV & MARIAE æque ac sibi essent infensi. Misso post haec de utriusque nece ad Niezuvium nuncio, Barbari omnes ad parricidale convivium dilabuntur.